no.2

AD REGIS Galliæ Consilia-rios, Exhortatio.

QVO PACTO OBVIAM iri possit seditionibus, quæ ob religionis causam impendere uidentur:

Ex Gallico translata,
M. D. LXI.

b

AD REGIS GALLIAE CONSILIARIOS EXhortatio, qua docetur, quo pacto obuiam iri possit seditionibus, quæ ob religionis causam impendere uidentur:

Ex Gallico translata,

M. D. LXI.



VANQVAM mihi persuasissimū est Proceres, me in hoc mihi proposito argumēto in multorū incursurum esse offensionē: quippe cum in tanta opinionum, quæ hodie in Gallia uigent, uarietate difficile sit, ita modum tenere in dicendo, ut omnib. satisfiat: tamē quia pro uestra clementia dicendi copiam ijs fecistis, qui sibi aliquid tribuunt, putaui mihi hac ad uos exhortatione utendum esse: non equidem

ſpe excitandi in uobis inſtinctum aliũ religionis, quàm quo ueſtrûm quiſque priuatim impellitur: neque item falſa quadam, quam de meipſo conceperim fiducia: ſed potius magna de ueſtra benignitate confidẽtia, quæ mihi certam ſpem facit fore, ut uos oculos aureſq; ueſtras huic meæ orationi eodem quo uobis à me parata eſt ſtudio accommodetis. In qua quidem uſurum me ſpondeo conceſſa à uobis poteſtate, nõ ut effræni licentia, ſed ut honeſta libertate, qualẽ mihi & tempus, & præſentia ueſtra, & officij mei ratio præſcribit.

Principiò, Proceres, initium hic ducere à præſtantia religionum (ſicut à quibuſdam factitatum uideo) res eſt meo quidem iudicio, quæ tantum abeſt ut præſenti morbo remedium afferat, ut po-

ut potius uulnus inde renouetur ac recrudeſcat. Contentio illa religionũ Romanorum & Proteſtantiũ (hæc enim duo uocabula mihi in præſentia deligere malo, quàm alijs uti nominib. ſecum nihil boni trahentib.) nihil aliud affert quàm tacendã quandã æmulationẽ, ex qua ſeditiones, quibus nos obuiam ire uolumus, oriuntur. Equidem quod ad me attinet, mihi perſuadeo, quamuis unus Deus, una lex, una fides ſit: & tamen ſimus in ſectas duas diuiſi, quarum non niſi unam ueram eſſe ſciam, cuius me ſolidam rationem aliquando redditurum eße ſpéro coram ſummo illo animorum noſtrorum exploratore: tamen reuera in hoc opinionum diuortio, nos omnes ad eandem metam tendere. Ac licet & Romani à Prote-

 ſtantibus,

stantibus, tanquam hæreticis, factiosis, & qui à priore fide defecerint, abhorreant: & uicißim Protestantes, Romanos ut simulachricolas, & in stulta maiorum suorum fide errantes detestentur: tamen omnes, quotquot sumus, ad unius Dei cognitionem, honorem, cultum tendimus, qui ad peccatorum nostrorum expiationem humanam carnem in hoc terrestri septo induit, & mortem illam suppliciumq; passus est: quæ res & extraneis probrosa fuit, & Iudæis non credita. Atq; illud comperietur, in hac opinionũ uarietate, Deum Opt. Max. operum nostrorum moderatorem, magna mirandaq; edidisse in oculis nostris in utrorumq; gratiam opera: ex quib. operibus alterutrã partem æstimare, temeritatis

meritatis fuerit arrogantis, & hominis æterna Dei iudicia humano affectu suo metientis. Quòd ut ita esse constet, quis quæso non uidit insignem illam Ambosianam coniurationem, à quibusdam aduersus eos susceptã qui tum regni negocia procurabant? Ita erant omnia constituta, ut conatus ille diuinitùs ad destinatum exitum perduci uideretur: neq; quicquam restabat, nisi ut stato die perficeretur negocium, quæ quidem dies ignorante instabat Gallia. Et tamen uno momento irritus factus ille conatus, turbinis instar in nihilum cecidit. An non uidetis in eo præsentem opem diuinitùs latam Romanis? Sed dicet forsitan aliquis illius factionis homo: At totum illud detrimentum nobis unius nostro-

rum conflauit proditio. Heus tu, an adhuc nescis, Deum in suis edendis miraculis frequēter uti nostra opera? Et tamen quamuis tunc secundißimū se Romanis præstiterit Deus, nō tamen iccirco à Protestantibus fauorem suum auocauit. Id quod ex eo perspicere licet, quòd cum qui potestate præditi erant, in eorum perniciem ferrentur, eosq́ penitus subigere cogitarent, Deus Opt. Max. quasi dedita opera potentes illos ex hac uita auocauit, ne destinata ab illis cædes patraretur. Vidimus Henricum regem multa & grauia animo uersare atq; parare supplicia. Vidimus eius iussu quinque aut sex aulicos consiliarios in arctum carcerem religionis ergò detrusos. uidimus eum testimoniū sumere à quibusdam præsi-

præsidibus etiam contra ipsorum collegas, eosq; absoluere à iureiurando quo obstricti erant societati: & eodem illo die uidimus eum (qui utinam adhuc inter nos regnaret) accepto in oculum uulnere, primùm lumine, deinde uita orbatum. Quinimò quemadmodum decima die Iunij perpetrauit in aula probrosum illud facinus, quod ego narrare nolo: ita decimo die Iulij sequentis (ut eundem diem animaduertas) excessit è uita. Ea mors magnorum illorum incendiorum apparatum nonnihil restinxit. Et tamen eius in rerum administratione successores, postquam res suas stabilierant, idem institutum in manus sumpserunt, illiusq; tantæ uiolentiæ successores se præstiterunt: cum quidē tanta sæuijt tempestas, ut referti

essent carceres miseris hominibus ob religionem captis, quibus nihil magis quàm crudelis infamisq; mors promittebatur. Interea extitit Ambosiana coniuratio, cuius rumor procerum animos (qui miseri illius popelli perniciem tum pertinaciter urgebant) sic perculit, ut ipsimet (incredibili sanè mutatione) dimittendos esse ex uinculis illos primi censuerint. Neq; uerò quicquam à me ad procerum illorum reprehensionem dictum uolo. Credo eos, quicquid aduersus Protestantes animis destinauerant, ita destinasse, ut se officio fungi putarent: sed hoc eam demum ob causam dico, ut ostendam, Deum uno temporis uestigio eorum conuertisse cōsiliū. Remisit deinde paulatim timor ille, qui Proceres illos inuaserat, obfir

matis

matis adhuc diuinitùs eorum animis: uolebantq́ pœnas capere de ijs qui Am bosiani illius consilij fautores putaban tur: adeò ut quicquid industria potest humana prudentia, id totum ad illud nègocium adhiberetur, & cuiusdã uiri Galliæ nostræ primarij ceruicibus præsens immineret periculum. Et tamen (sicut olim in Abrahami quoq; sacrificiò) Deus Isaacum suum dicto citius respexit, & ab eo, & porrò ab aliorum multitudine innumerabili, lethiferũ ictum, qui erat in insidijs (quid dixi in insidijs? imò qui eorum ceruicibus iam iamq́; ingruebat) auertit. Et unius iuuenis principis interitu inexpectato factum est, ut tanta illa consilia, tanta molimina, tam atroces uindictæ omnes ex Gallia pulsæ excesserint.

Quis

Quis igitur ita hebes eſt, qui hæc perpendens nō agnoſcat omnes illos, quos ſupracōmemoraui euētus, à Dei extitiſſe manu? idq́ nō minore miraculo, quàm cum olim hominū corpora in uitā reuocari coràm ſpectatum eſt. Quid igitur? nunquid ob collatum in hos diuinitùs beneficium aliquid contra alteros inferemus? Minimè uerò. Ut enim hi impendentes iam ſibi cruciatus mirabiliter euaſerunt: ita illi eadem ope atq; præſidio, aduerſus Amboſianas inſidias ſeipſos tutati ſunt: quibus inſidijs non facilè profectò occurriſſent (ita callidè res gerebatur) niſi Deus in eo ſuam potentiam exeruiſſet.

Magna ſunt & admiranda Dei Opt. Max. conſilia, & deniq; talia, ut ea inanibus noſtris inertibusq́; ratiocinatio-

nationibus rimari uelle nihil aliud sit, ut uerè dicam, quàm illorum gigãtum more, de quibus habetur in antiquis fabulis, cœlũ ipsum petere. Confert Deus in bonos iuxtà ac malos, nullo discrimine, sua beneficia: nec temerè nobis potestatem permittit, quis bonus sit aut malus iudicandi, quando solus ipse iudex est. Euasere mirabiliter Romani: rursum Protestantes, inuita omni humana prudentia, ter recreati sunt. Quid inde nobis censendum? hoc nimirũ (ut interim religionis res non discutiam) quòd Deus nos in hac opinionum uarietate non deseruit, quin multis euidentibus argumentis admonuit hanc esse suam uoluntatem, atq; hoc sibi placere, ut neutri alterorum uitæ insidiantes, quietam omnes conscientiam retineamus,

neamus, & ei legi pareamus, quam nobis diuinitùs mãdatam existimamus. Hæ sunt sententiæ, hæ admonitiones, quibus ille nos admonuit: quibusq; ego in præsentia uti uolo, & eas uobis in memoriam reuocare, quo uobis sint usui. Neq; uerò, Proceres, ego sectam utramq; probo: absit ut tam peruersa opinio in animo meo locum unquam habeat. Scire mihi uideor, utra alteri anteferenda sit. sed huius rationem reddẽdi non est nunc locus: & aliquando, uolente Deo, uobis hanc rem nominatim explicabo. Interea quando huc conuenimus, ut turbis, quæ nos iam iamq; premere uidẽtur, occurramus, nolo (nisi quàm minimè fieri poterit) alterorũ causam sic agere, ut alteris officiam: quin mihi in præsentia propositum est,

cuiusq;

cuiusq; cõscientiã eadem trutina librare, & cætera eius iudicio relinquere qui solus cogitationum nostrarum penetrale nouit. Igitur ad turbas omnes componendas (postquam ex ijs quæ citauimus exemplis, nonnulla habemus uoluntatis Dei indicia, nimirũ in neutros esse populationibus aut furiosis cædibus sæuiendum) nulla promptior est aut expeditior ratio, quàm ut in Republica uestra duas Ecclesias, unam Romanorum, alteram Protestantiũ esse permittatis. Nõ dubito, quin hoc meo dicto nonnulli uestrûm nonnihil offendantur (neq; enim parui momenti est hæc sententia) atq; ita mihi responsuri sint: Quid? in opinionum dissidio, præsertim de religione, quæ in animis nostris longè maximos motus excitare solet,

solet, fieri'ne commodè poterit, ut Gallicus populus longo iam usu Ecclesiastice Reipub. formæ assuefactus, in medio sui nouam religionem sine tumultu patiatur? Sed attẽdite, quæso uos Proceres, rationes meas. Dico fieri id posse, postquam alibi quoq; factũ est. Dico eum esse rerum Galliæ statum, ut id fieri necessariũ sit. Dico uos, si id permiseritis, nullã Regis nostri regno iniuriam esse facturos.

Ac quod ad necessitatem attinet, uos ipsos ego testes facio, nec aliud ullũ quàm conscientiarum uestrarum testimonium peto. Omnino ut hac de re statuatur necesse est, ut aut eos opprimendos ac funditùs delendos esse censeatis: aut inter nos liberè uiuant. Opprimi nõ nisi exilio aut morte possunt. Quod

ad prius

ad prius attinet, difficile est factu ut exilij metus eis opinionem suam eximat. Quòd si dicetis, permissuros esse uos omnibus bona sua distrahere, & extra regni fines sedes sibi quærere: frustra dicetis. patriæ desiderium, familiæ comitatus, commoditas bonorum, uenditio iniqua possessionum, si fortè eis se hanc ob causam abdicare uoluerint: hæc inquam impedimenta sunt magna satis ad eos deterrendos, quo minus sibi de alijs quàm natali solo sedib. prospiciant. Adde, quòd si edictum istud fieret, & ei omnes parérent, uos Galliam uestram hominibus magna ex parte priuatam desolassetis: et quidem magni nominis hominibus, & omnium ordinũ primarijs. Sin eos morte coercendos, & constitutis iudicijs

exempla in eos edenda esse decreueritis, uidistis post factam postremò pacem ignibus, aquis, ferro eam ob caussam sæuiri, ad singulorum quorundam detrimentū. Sed quid boni id totum attulit? nimirum scintillū, uel potius ardorem eorum animis, sitimq; & cupiditatē cognoscendi Dei, et animorum confirmationē: adeò ut unius mors centum alijs nouandæ uitæ causam attulerit. Sin sine iudicijs eos exterminare uolueritis, uidete quæso, quando bello, quando incendio Galliam sitis inuoluturi: uidete quantā miseris uestris subditis iniuriam facturi (qui à longorū superioris tēporis bellorū oppreßione, uixdū respirāt) si eos famelici militis libidini denuò exedendos obieceritis. Scit quæ dico, uel misera illa Boancia, Aurelia-

relianẽſem expeditionẽ ſuo malo exper
ta. Sed ponamus omnia tanta tempe-
rantia adminiſtrari, ut agricolæ tuti
ſint ab omni militis iniuria, continuó
ne tot tam non tenuis cõditionis homi-
nes à uobis domitũ iri ſperatis? Nam ſi
uerum fatendum eſt, ſunt Proteſtãtes
Romanis ſi non numero, at põdere cer-
tè ſuperiores. An uos de tot tantisq́ ui
ris ſperatis incruentam eſſe uictoriã re-
portaturos? Sed ut tandẽ ſuperiores eua
datis (id quod tamen pro certo habere
nõ debetis) & illos ſtirpitùs euertatis:
illud certè uobis cogitandũ eſt, cædẽ non
ſine inſigni ueſtrorũ ſtrage fieri poſſe. de
niq; erit uictoria, ueſtra illa quidem,
ſed ueſtris ipſorum ſpolijs inſigni-
ta: & prælij locum obtinebitis, ſed
hominibus nudátum: ueſtrumq; regem
 ſubdi-

subditis orbaueritis, & hosti (si quis forte tertius superuenerit) prædæ futurum obieceritis. Ne quid interim dicam (id quod tamē uobis ponderandū est) rem esse non parui periculi, in tantula regis ætate regni uires imperatori committere. Certe ut rem in pauca conferam, eo loco res est, ut Protestantes non nisi cum nostra omnium ruina euertere queamus. Ac quemadmodum in hominis corpore, si quod membrum computruit, id mature recidendū est, antequam malum serpat longius: sed si ad nobiliores nostri partes penetrauit, id uelle recidere, nihil est aliud (ut ingenue dicam) quàm dū exosam partem excidere uis, eam necare quæ nondum læsa erat: ita Mundi sapientissimi quiq; in ea sunt sententia, ut nascentes

tes primũ nouas opiniones igne, ferro, cædibus coercendas esse censeant, uidelicet dum adhuc paruus est numerus: uerùm postquam in eum locum & numerum perducta res est, in quo eam esse nũc uidemus, planè diuersum præscribendum est. adeò ut non sine magna causa diu multumq́ dubitatũ fuerit, num perfectus hæreticus, & à nostri Christianismi principijs discrepans, sit capite plectendus. Fuit olim Priscilianus author hæresis cuiusdam, quæ postea ab ipso nomen sortita fuit. is sublimis illius & reuerendæ Trinitatis personas confundebat, carnem ceu immũdam abhorrebat, diuortia in Episcopatu suo etiam ex solo alterutrius coniugum consensu fieri permittebat: & huius generis errores alios multos fouebat,

quibus magnam hominum multitudinem deceperat. Hic primùm in quodam Romano concilio improbatus est: deinde in quodam Burdegalensi conuentu à Diuo Martino, alijsq; compluribus magnis uiris, hæreticus pronunciatus. Eum Itacus & Ursatus episcopi, religionis studio (ut sibi uidebantur) moti, apud Maximum qui tunc imperator erat, accusarunt: qua accusatione effectum est, ut & de illo sumptum fuerit supplicium, & tria aut quatuor eius gregalium millia capitis damnati fuerint. Deinde Sigibertus ordinis Diui Benedicti religiosus, author fuit ut magnus ille diuus Martinus, eiusq; fratrũ cõplures, qui uniuersam illã sectam hæreticã pronunciarãt, tamen Itacũ eiusq; gregales omnes ex

Ecclesia excõmunicarent: ita ut queãd modũ Prisciliani sectatores Priscilianistæ uocabãtur, ita & ab Itaco deinceps Itaciani, ut hæretici dicti fuerint, qui secundũ Itaci opinionẽ errãtes in religione homines capite plectẽdos censerent. Sed quid subsecutũ est? fecit illius excõmunicationis metus, ut tunc nece omniũ condemnatorum qui in carcere detinebãtur, superſederetur. Imperator Itaco Vrsatoq; fauens, diuũ Martinũ sæpius solicitat, eiq; nominatim imperat, ut cũ illis cõmunicet. At diuus Martinus recusat: nec unquam ab eo communionem illam impetrare potuit Imperator, quin prius miserum illum populum dimisisset, eíque ignouisset, quem sanctus ille uir aliquando ad frugem rediturum esse sperabat.

Et ſanè res erat omnibus maioribus noſtris Chriſtianis inaudita, de fratre aliquo ſuo ſupplicium ſumere, etiamſi in aliquibus religionis noſtræ capitibus erraret. Primus in hoc genere de uia declinauit, & horum incendiorum inuentor fuit Dominicus, author unius ex quatuor Mendicantium ordinibus: in cuius rei monimentum, fidei inquiſitio ſemper deinceps eius miniſtris reſeruata fuit. Et certè non ſine graui cauſa proditum eſt in eius legenda, matrem eius iamiam eum enixurã ſomniaſſe, ingentem canẽ ſe párere, qui ardentem torrem ore geſtaret. Erat enim torris ille rogi, quibus rogis poſtea ad noſtram uſque ætatem in cineres redacta eſt infinita hominum multitudo: quàm bene, nouit Deus. Quocirca ut

ca ut orationem concludam, hoc mihi concedatis oportet, necesse esse ut Protestantes, qui inprimis fidei fundamentis cum Romanis coniuncti sunt, incolumes uiuant inter nos, neque ullum uel corporum uel fortunarum detrimentum accipiant: idque non solùm quia sic statuit mundana sapientia (quæ apud Deum mera stulticia est) uerùm etiã quia sic sentiunt ij, quorum ita sancti fuere mores, ut eos nonnullam habuisse arcanorum Dei consiliorum cognitionem credibile sit.

Iam si mihi eorum incolumem inter nos uitam concesseritis, eadem opera cõcedatis oportet, necesse esse ut aut bonis sanctisque monitis in sinum Ecclesiæ Romanæ reuocentur: aut suo uiuãt arbitratu. Atqui illud uix, aut ne uix

quidem fieri potest: quippe cum reuocari nullo pacto queant, quin auferantur ab Antistitibus bona quibus inescati sunt, & pro quibus nonnulli magis quàm pro religione pugnant. Quinimò etiamsi concilio uel generali uel nationali fenestram aperuerit is, exitum nõ spero felicẽ: tum quia Antistites, Episcopi, Abbates (quos in hoc cõcilio reos factum iri intendunt) eius moderationi sunt destinati, ita ut ijdem & iudices & rei futuri sint: tum quia factu difficile est ut sententia concilij prohibeantur ueri Protestantes creatorem suum eo modo agnoscere, quem modum ipsi sibi in animo impresserunt: aut ut ueri Romani non itidem de religione sua sic sentiant, ut à maioribus suis instituti sunt.

Siqui-

Siquidem tum demum uires habent in nobis concilia, cum in pronunciatis concordamus: & non nisi de abusibus, aut certè cæremonijs corrigendis agitur. Fuit Arianorum numerus aliquando non minus, ne dicam magis ingens quàm horum: & damnata fuit eorum opinio magno splendidóque apparatu, in celeberrimo illo & frequentißimo concilio Niceno. Nunquid idcircò crescere, & magno numero augeri desierunt? Nequaquam. Quid ergo eos labefactauit? Solum tempus, non concilia. Et sanè huc spectat nobilis illius Gamalielis oraculum: Si à DEO *est eorum opinio, necesse erit ut perpetuetur, nec eam impedire poterunt omnia*

humana

humana obstacula: sin à Diabolo orta est, necesse erit ut suppuret, & sua sponte, nulla chirurgi manu adhibita crepet. Neq; tamen nõ magnopere laudo destinatum à uobis concilium, modò in eo libera sint, & admittantur omnium suffragia. Sed interea dum concilij decretum expectatur, statuendum est, ut postquam Protestantium interfectio ex nostris deliberationibus abesse debet: & eorũdem reuocatio propterea difficilis est, quòd habent argumenta ad causæ suæ defensionem admodum ualida: eis permittatur Deũ inter sese, inq; suis Ecclesijs ex suo instinctu ac religione colere: quemadmodum Romanis Deum in suis templis suo more colere permittitur.

Non dubito, quin uestrûm bona

pars,

pars, Proceres, mihi ſit hic allegatura uſucapionem Romanæ religionis, quæ partem hanc uobis tuendam eſſe oſtendat. uerùm negant Proteſtantes uſucapionem locum habere in reformanda religione: ac ſi locum habeat iſta ratio, feneſtram aperiri infidentibus Iudæis & Turcis ad tuendam antiquam infidentiam ſuã. Quòd ſi fortè mihi dicetis, non eſſe uериſimile Deum uſq; adeò noſtri antea oblitũ fuiſſe, ut nos perpetuis tenebris obruerit: fieriq; non poſſe, quin fuerint aliquando Chriſtiani eius ueritatis radijs colluſtrati: fatebuntur hoc illi quidẽ. ſed dicent Papas, poſtquã authoritatẽ ſuã ſupra omnes Epiſcopos euexerunt, uſqueadeò immutaſſe Euangelium, ut eius laruam duntaxat reliquerint. Atq; huius rei confirma-

firmationẽ ex ſingulis paßim locis Papanarum conſtitutionũ Decretalium allegant, in quibus Decretalib. perpaucas eſſe contendunt, quæ non prima ſtatim fronte impiũ aliquod dictum contineant ſub ſpecie aliquorũ locorum ſacrarum literarum: quas illi deprauare non dubitauerint, dum eas ad utilitatẽ cõmodumq́ ſuum detorquerent. Equidem eorũ opinionem uerã eſſe, contendere nolo: quippe qui protinus ab initio teſtatus fuerim, me religiõis cauſam nõ diſcutere. ſed hoc mihi uel præſente Sorbona dicere licet, ſummum illum pontificem, quem Romani in Eccleſiæ ſuæ faſtigium erexerunt, caput eſſe & ſeminarium omnium hæreſium quæ intra trecentos annos extiterunt. Etenim quas commentus eſt legum ſolutiones

nes

nes in mandationibus, in ætatibus, in absentijs, in sacerdotiorum multitudine, eæ in causa fuerunt, ut ueris ministris destitutæ fuerint Ecclesiæ. Hinc factum est, ut administrandæ fuerint à mercenarijs sacerdotibus: quibus non tam curæ fuit, ut oues suas ritè docerent ac instruerent, quàm ut eas tonderent, quo inde conducti precium redigerent. Hoc delicto effectum est, ut dum quisque fidei suæ certam noticiam à libris petit, proprias excuderit opiniones, prout erat ipse affectus: unde tandem extiterunt, si quæ extiterunt, hæreses. Quin ipsi quaterni Mendicantes (alterum genus hominum in omni bene instituta Republica minus probatum, & à maioribus nostris

nunquam

nunquam nisi ægerrimè admissum: sicuti uidere licet in operibus Gulielmi Sanctamorij, & Alcamanis, quæ etiamnum extant in Sorbona) quaterni inquam Mendicantes, animaduertentes Curionum omißionem officij, tempore Caroli sexti diplomata obtinuerunt, in quibus eis permittebat Papa decumas percipere, ut qui uicē supplerent officij quod à ueris ministris omitteretur: ignorante tamen illo ipso Papa, se solùm stirpem & seminariū esse totius illius mali. Et sanè si quis tēpus animaduertat, quo ille crescere, & in Ecclesia unici summiq; titulum sibi uendicare cœpit (id quòd imperante Phoca factum est) comperiet, eodem seculo, uidelicet sub Phocæ successore Heraclio, nescio quo sinistro fato Mahometem

hometem, perniciosum illum uatem, sua zizania seminare cœpisse: ut quo tempore Mahometes in Oriente magnitudinem suam erexit, eodem & Papa in Occidente cristam attollere cœperit.

Sed quorsum hæc omnia? Non equidem, quo causam cognoscere ingrediar, quippe cum in præsentia neutrorum partes tueri in animo habeam: sed ut ostendam, non omnino sine causa facere Protestantes, ut Ecclesiam postulent, cum Romana à capite ad pedes nescio quo pacto deprauata esse uideatur. ut interim eorum intimas rationes non attingam: nam hæc quidem corticem duntaxat & superficiem attingit. Et quoniam compertũ habeo nonnullos esse uestrûm, Proceres, qui nec

duas Ecclesias, nec ignes probent, sed Protestantes duntaxat conniuendo pati uelint, eisq; liberam inter nos uitam ita permittere, ut tamen cœtus omnes interdicant: quanquam hæc opinio non omnino explodenda uidetur, magnas tamen secū affert incommoditates, atque adeò difficultates inexplicabiles: propterea quòd habet religio nostra Christiana Cœnæ Baptismiq; sacramēta, quæ citra fidentium cœtum obiri nequeunt: cum tamen ea non obire, sit seipsum planè Gentilem reddere. Atque ut diligentius excutiatur hæc opinio, uidete per Deum, in quod incommodum incurramus, illos sic tantum ferendo. Missæ interesse mihi religio est: ab accipienda ex manu sacerdotis, quem pro legitimo pastore

meo

meo agnoſcere non poſſum, communione abhorreo. pro deaſtris habeo omnia illa ad diuorum ſimilitudinem inſculpta ſaxa: uos mihi ut ab eis abſtineam permittitis equidem, ſed rurſus ut in Eccleſia conuentuq́; in quo Deum meum colere uolo, compaream, non fertis. quis me interea matrimonio copulabit? quis liberos meos baptizabit? deniq; quis mihi Cœnam adminiſtrabit? Vultis ſcire quid tandem hoc in me ſit effecturum? nimirum contemptum deſpectumq́; tum Romanæ legis, à qua à teneris abhorreo: tū illius ipſius religionis, cui me addixeram. Ita fiet, ut pro eo quòd Deum, creatorem, dominum meum animo, mente, ſinceráque religione adorare debeo, incipiam negligentia uagas habere cogitationes,

& in imum impietatis gurgitem demergar, quæ nihil nisi latrocinia parit, & rapinas, & regis omniũq; ueſtrûm contemptum, & (ut breuiter dicã) audaces aduerſus magiſtratum conſpirationes: quæ omnia ab ijs abeſſe ſolent, quibus ſua cordi eſt religio. Ita ſit, ut iſta de ferendis Proteſtantibus opinione aut uniuerſæ Reipub. ueſtræ magnopere noceatis: aut illos apud uos ferendo, eis permittere debeatis, ut ſecũdum ſanctas concionatorum miniſtrorũq; ſuorum admonitiones Deum colant.

Scio maximam ueſtri partem Romanis fàuere partibus, ingenio ciuili: quòd illa lex ea ſit, in qua educata fuerit ab omni antiquitate Gallia: quódque uulgò perſuaſum ſit, mutatiõis religionis comitem eſſe ſolêre regni quoq; muta-

mutationem. Sed quæso uos, Proceres, cum bonus ille imperator Nerua apud Romanos edicto generali uetuit, ne qua in uitam aut religionem cuiusquam fieret inquisitio: nunquid ea re magnitudinem suam diminuit? Quid Alexander Seuerus, alter ille in histo rijs tantoperè celebratus Imperator, cũ permisit, ipse Gentilis, ut Christiani Romæ (quæ ipsius imperij caput erat) templum haberent, nunquid ea re supremam suam authoritatem labefactauit aut imminuit? Rursum quid Magni cognomen Constantino conciliauit, nisi quòd contra maiorum suorum institutum (quorum bona pars in Christianorum perniciem conspirauerat) primus eorum Ecclesiæ authoritatem dedit: permisitq; ut quemadmodũ Gen

 tiles

tiles siue Pagani sua templa, sic & hi certa statutaq; loca haberent, in quibus suos conuentus agerent. Quo facto, & infinitas repreßit rixas, quæ in populo uigebant: & imperium suum pacatum reddidit, & huius generalis concordiæ opera, & authoritate & omni felicitate auctus est. Ac ne remota aut peregrina exẽpla quæramus: Franci ipsi, cum Galliam inuaserunt, licet Iouium Apollinumq; suorum (quibus nixa fulciebatur eorum fides) cultui antiquo constanter adhærerent, & Galli sancta baptismi nota sese à Diaboli seruitute uendicassent: nunquid uictis à se Gallis suam legem unà cum imperio obtruserunt? Nihil minus: quin illud comperietur, in his finibus sub trium Regum imperio,

rio, & aliquandiu sub quarto, & Francos uictores in suo deastrorum cultu uixisse: & Gallos domitos, cære monias in quibus instituti fuerant retinuisse. Turca ille magnus, nunc Constantinopolitanus Imperator, & quindecim aut sexdecim prouinciarum, quæ singulæ magnitudinem æquant nostræ Galliæ, nunquid uel ipse uel eius decessores statum suum deteriorem reddiderunt, dum in eadem urbe tria religionum genera diuersa ferunt? Minimè uerò, Proceres: contraq;, magnitudinem suam auxerunt. Quòd si quàm crescebant uictorijs Othomani illi, tam cogere uoluissent subditos suos ad admittendam suam illam legē Mahumeticā, frustra laboraßent, et insuper aut populos suos

ad mille rebellandi uias impulissent, aut fines suos desolassent, uictoriasque suas ociosas reddidißent. Itaque errant qui opinantur, si duæ sectæ in eodem regno ferantur, eam rem Galliæ regno fore detrimento, aut regis nostri magnitudinem ullo pacto diminutum iri. Nam quòd religionem ferunt unum esse uinculum quo populus in officio retineatur, non sic accipiendum est, ut sit semper una generalis religio iisdem nixa cæremonijs: quin satis illud est, si populus, quamuis sub diuersis pronũciatis, tamẽ generali concordiaque Dei metu, & iudicij in altera uita futuri terrore frenatur. Ac ne omnium ore tritum illud dictum, intactum prætereamus, uidelicet mutationum religionis comitem esse mutationem Rerumpublicarum:

habet

habet equidem dictum hoc speciem nonnullam ueritatis:sed quale sit hoc, sic accipite. Dum nos omnes in maiorum nostrorum religione uiuere, moriq; uolumus(uidelicet tum plebs, quia sic ab ineunte ætate instituta est: tum qui sibi magis sapere uidẽtur, quia mutationem metuunt) dum ueteris inquã religionis æmulatio in animis nostris ardet, reliqui curiosiores, qui se supra nos sancti Spiritus melle perfusos esse putant, suum illud nouum religionis studium sectari uolunt. Atque inter hæc dißidia, dum hi ad destinatũ peruenire nituntur, illi eis impedimento sunt:fieri non potest(cum nihil sit quod animos nostros magis cõmoueat, quàm religionis opinio) ut non multæ nascantur seditiones, ex quibus deinde existũt

quas uos in animis uersatis mutationes. Ita fit, ut non afferat ipsa per se religio mutationes Rerumpublicarum, sed eæ casu inde eueniant, dum magistratus ueterem opinionem contra nouam per uim pertinacius tuetur. Quòd si in huiusmodi generalibus religionis mutationibus reges in animum inducerent, permittere ut ex ea quisque fide uiueret, ad quam se diuinitùs uocatum esse putat (sic tamen ut abesset impietas, & illius abnegatio qui pro nobis supplicium tulit) certè & turbæ cessarent, & eâdem opera nulla existeret profanæ potestatis mutatio. Hi demum fructus sunt, ut paucis dicam, qui solent à noua religione existere.

Videtis, Proceres, existere in hac

causa

causa neceßitatem: & quidem eam neceßitatem, quæ non ea in regis personam secum trahat incommoda, quæ uulgus existimat. Quòd superest, quoniam uideo eos omnes qui has duas Ecclesias simul ferri prohibent, eo maximè moueri, quòd duas sectas in eadem urbe consistere posse non existiment, contendantq́ frustra duas à uobis Ecclesias permitti, cum eæ maiores etiam suscitaturæ sint: respondeo, Si eadem remedia in aliquibus bene constitutis Rebuspublicis aliquando fuerunt adhibita, eadem'que arte prisci illi Christiani seipsos à tumultibus in similibus negotijs tutati sunt, cur nos in Gallia similem Reipublicæ formam non feramus? Scitis, quæ factiones ante annos circiter mille

B

centum

centum uiguerint ob ſummum fidei noſtræ caput, ab Arrio excitatæ: unde multæ rixæ, diſsidia, cædes extiterunt. Quam igitur rationem ſecuti ſunt ſapientes, ut illis calamitatibus & miſerijs finem imponerent? Nimirum nullam aliam, niſi quòd in ſingulis urbibus geminas admiſerunt Eccleſias. Atq; ut antiquas noſtras hiſtorias altius non repetam, uidimus noſtro tẽpore ob hanc religionem ſectos in factiones duas Heluetios. Quódnam igitur commodius inuenêre remedium, quàm quòd geminas, etiam in paruulis pagis, permiſerunt Eccleſias? Allegarem & Germanicum Interim, niſi quòd certò ſcio uos mihi turbas obiecturos, quæ ex eo poſtea natæ fuerunt. Quanquam ſi rem ritè perpenderitis,

& omnes illos tumultus consideraueritis, comperietis profectò astutum illũ Imperatorem, qui solenni illo suo dicto plus ambiebat, quàm quantus est orbis uniuersus, occasionem ab hac religione callidè sumpsisse, & illorũ tumultuum, opera quorundam emissariorũ, authorem extitisse, quo deinde facilius Germaniam in potestatem redigeret. Quid igitur nos docet hoc exemplum? scilicet geminas Ecclesias causam esse seditionum? Nequaquam: nam & Heluetios his nullo periculo usos uidimus, & adhuc Iudæos uiuere uidemus in medio Christianorum in omnibus Papanis territorijs, sine offensiõe, quorum tamen religio nostræ planè aduersatur. Hinc igitur discimus, quando Magistratus, ut ambitionem magni-

tudi-

tudinemq́ ſuam foueat, alterius partis fautorem ſe præbet, & per ſpeciem religionis factiones excitat, non poſſe non inde ſeditiones exoriri, quales & in Germania tectis Caroli artibus ſuſcitatas uidimus, & quales olim exiſtere uiſæ ſunt inter Chriſtianos in illa Catholicorum & Arrianorum diſcrepantia: cum quidem Romani principes conata ſua factioſè perficerent, quales & aliquando in Iudæos excitas uidimus, cum degerent in Gallia, cum quidem ad eos pecunia emungendos noſtri reges populo aduerſus illos laxarent habenas. Verùm dum princeps nudum inter utroſque tenet gladium, & neutrã in partẽ eum inclinat, niſi ut capite plectat omnes authores tumultuũ, neutrisq́ parcat: non eſt

dubium

dubium quin non existant seditiones. Viuite in sua quisq; Christiana fide religiosè: reueremini hinc concionatores, illinc ministros uestros. Verùm si uel Romanus concionator, uel Protestans minister, eiusmodi uerba concionibus suis insperserit, quæ ad seditionem spectare uideantur: sumite ita graues de eo pœnas, ut territus eius exemplo populus dediscat deinceps intemperantiam. Et sanè quid opus est ut concionator consumat ad plebem duas horas in inuectionibus, omisso suo Euangelio? Quid illud adfert commodi, nisi quòd & stultissimum quemque ad tumultuandum expergefacit, & sapientissimo cuique cupiditatem ingenerat cognoscendi quá-nam ratione nitantur Protestantes?

quæ

quæ res interdum opinionũ adfert mutationem. id quod accidisse uidemus intra sexdecim aut uiginti annos Paulo Vergerio, homini apud Papã Paulum tertium gratioso: qui Vergerius cum in Lutherum scribere aggressus fuisset, ita uictus est illius argumentis, ut mutata sententia ipsemet Lutheranus euaserit. Et certè uulgò fertur (quod quàm uerum sit, aliorum esto iudicium) bonam partem concionatorum Galliæ tales esse, ut citius decem Protestantes faciant, quàm uel unum ad fidem suam conuertant: propterea quòd eorum conciones omnes scatent inuectionibus, in quibus quidem ita infirmis, ita elumbibus utuntur argumentis, ut eos sæpe præuaricari uideri perhibeant. Neq; tamen nego Romanam

nam religionem habere fortaſſe, quo ſe defendat: ſed huius generis concionatores parum admodum in literis educati, non ſolùm homines offendunt, ſed etiam religionem quam profitentur. Vetate igitur ſeueriſsimè huiuſmodi conciones, & facite ut pro ſe quiſq; aut à concionando abſtineat, aut intra ſui Euangelij limites ſe contineat, neq; in digreſsiones exardeſcat. Vos monachos in ſuggeſtibus collocatis: monachos nõ niſi in opacis concluſisq; locis & clauſtris monaſterijsq; educatos, monachos qui non niſi Scoto aut alijs eiusdem farinæ ſophiſtis operam dederunt, & à ſcholarum ſuarum tenebris eductos, & recens acutos, in lumen ſolis exponitis. Clamant illi, tumultuantur, fulminant, immiſcent cœlũ terræ, ſeq; pu-

tant præclari aliquid præstitisse, si cum una lachrymula, quæ ipsis iussa prosilit, perorationis loco sic exclamãt: Extirpate, extirpate, & funditùs euertite nouam hanc detestandamq; religionẽ, postquam huic rei Magistratus non prospicit. Putant nimirum, sic obtinendam fidem Christianam, ut obtineri solet Rectoratus in uniuersatibus, pugnis uidelicet & fustibus: neque cogitant Dauidem illum, hominem tam acceptum Deo, maluisse pestem subditis suis eligere, quàm seditionem aut tumultum. Interea plebes imbuta de illis opinione, inebriatur iracundia, & ex huiusmodi concionibus nihil nisi uindictæ cupiditatẽ percipit, neq; quicquã potius exoptat quàm sibi primo quoq; tẽpore occasionẽ offerri omnium

omniū eorū domos diripiēdi, qui putātur esse Protestātes: sperans hac ratiōe à graui peste regionē expiari. Interea in partē hanc cōcedunt improbi, & his institutis adminiculātur, eo consilio ut inter hasce turbas spolijs ditescāt alienis. Atq; ut paucis dicā, si fortè existeret seditio, boni æquè ac mali, Protestātes æquè ac Romani nullo discrimine præda forent graßatorib. cæsorib. lenonib. erronib. qui intestini dißidij occasionē intentißimè aucupātur. Neq; uerò uos essetis immunes: siquidē nullum unquā tempus est in quo magistratus suffragium authoritatemq; suā amittat in Repub. quàm dum eiusmodi turbæ & seditiones locum habent. Itaq; dum eiusmodi conciones haberi permittitis, eadem opera permittitis ut & Regis

 sceptrum,

ſceptrum, & quam uos ab eius uoluntate habetis authoritatem, à monachi miſericordia & temeritate pendeat. An putatis hoc genus hominum poſſe unquam ritè perpendere, quid ſeditio, quid tumultus, quid ciuile bellũ poßit in populo? Eorum eſt, ſuis concionibus indagare, quónam pacto reuerendus ſit Deus optimus maximus: ſed iudicare utrum ſint ſumenda arma, quia Deus non quo ipſi pacto docent colatur, hoc uerò non eſt eorum officij. Quorum igitur? Veſtrum duntaxat eſt: hic illorum propria ſcientia, ſed ueſtri eſt prudentia. Veſtrum eſt, eis in hoc quidem negotio facienda præſcribere, & ſeuerè mandare, ut quemadmodum antea in eo occupati fuerunt, ut ſeditioſam plebem concitarent ad cædem, perniciem,

ciem, euersionem miserorum istorum Protestantium, qui nihil ipsis nisi pacem offerunt: ita deinceps discant, & in uniuersum in concionibus inculcẽt, nihil esse uel Reipublicæ perniciosius, uel inter nos formidabilius, uel magis uetitum à Deo, quàm seditiones populi. Hæc alta uoce clament, his suggesta personent, his suas omnes orationes condiant, hæc populi animis imprimant: ita demum profectò fiet, ut eorum uestigia sequatur populus. Sunt utplurimùm seditionum authores concionatores. idquod animaduertens Iohannes ille Burgundiæ Dux, qui miserum Aureliæ ducem scelaratè necauerat, cum ad causæ suæ defensionem Lutetiani populi animos sibi couciliare uellet, usus est potißimùm opera concionato-

rum: quæ ex re tanti tumultus exorti sunt, ut Gallia annorum quadraginta calamitatem pertulerit, nihil habens ante oculos nisi arma, nisi terrores, nisi perpetuam mortis, miseriæ, paupertatis rerumque aduersarum imaginem. Quamobrem, Proceres, huic rei prospicite, huic negocio lectos tantum præficite, non sic in scholasticis illis rixis educatos, ut est uulgus concionatorum nostrorum: iubete ut linguas suas frænent, utque errores & abusus bonis ualidisque rationibus ita reprehendant, ut eò semper relabantur, non esse armis aut ui utendum ad illos corrigendos, nunquam Deum uoluisse quenquam ad Dei cognitionem ipsius uitæ mercede perducere: denique eo loco esse rem, ut sine pernicie nostra arma in hoc negocio

cio

cio capere nõ poßimus. Quòd si quis seditiosus cõcionator extiterit qui hos cãcellos excedat, editote in eum exẽplum, et acriter animaduertitote nõ solũ in omnes tales legis huius uiolatores, uerùm etiã in omnes quicũq; ob religionẽ alijs maledixerint aut malefecerint. Hæc si feceritis, nõ dubiũ est quin populo omnẽ tumultuãdi occasionẽ detraxeritis. Sũt omnino omnium nostrûm oculi in uos cõiecti, & ad nutũ uestrum mouetur quisq; nostrûm. Hoc uobis persuadete, non plus usurpaturos nos authoritatis, quàm quantũ ex factorũ uestrorũ intuitu collegerimus. Quòd si uobis uno animo cõspirare placuerit in omnes authores turbarum: nobis omnibus tutis esse licebit. Sin plus priuatis opinionib. quàm amori utilitatis pub. tribuentes,

libidinibus uestris indulseritis, & uos alteris patrocinari, ut alteros pedibus obteratis, populus uel tantulum senserit: nõ dubium est quin præsidio uestro freta plebes, occasionem sumptura sit nouas in Gallia turbas excitãdi. Excipietis forsitan (quandoquidem tam in me retorqueri posse, quàm pro me facere uidetur dictum meum) si quidem ab authoritate ac potestate uestra tota res pendet, tam facilè uobis fore seditionibus obuiam ire antiquæ Ecclesiæ Romanæ patrocinando, quàm geminas Ecclesias permittendo. Verùm si ita uobis persuadetis, uehementer erratis. Multum enim differunt hæc inter sese, prohibere ne ex animi mei instinctu Deum meum colam, & seditionis impetum cohibere. Siquidem illud

perpetuò hoc secum trahit, ut potius mille mortes, mille supplicia, ignes mille feras, quàm nõ eò peruenias, ut quòd sit omnium actionum nostrarum ultimum atq; summum. At seditio à plebis leuitate proficiscitur: utq; suscepta furiosè promouetur, ita & breuiter finitur. Sed illa contrà constantiam alit, quæ nos ad mortem usq; comitatur, & quidem mortem omnium quæ excogitari possunt crudelißimam atque horribilißimam. Quòd si tot támque crudelia adhibita supplicia sectã hanc Protestantium opprimere non potuerunt: rursumq; unicum apud Bellouacos editum supplicium omnes ibi cœptas turbas ita sedauit, ut postea nullus de plebe seditionem mouere ausus fuerit in eos qui more arbitrioq; suo ui

 uunt

uunt ſecundùm Geneuenſem Eccleſiam: nónne inde perſpicuum ſit longè maiora moueri, ſi quis pro animæ ſuæ ſalute pugnet, quæ ſua cuiq; commiſſa eſt, cuiuſq; rationem præſens redditurus eſt coram maieſtate Dei: quàm propter ſtultam neſcio quam opinionẽ, ex eo ortam quòd priſcæ maiorum noſtrorum leges uiolantur. Nam illud ex noſtri penitiſsimis ſenſibus, hoc ex fortuita quadam opinione naſcitur. Quare non eſt quòd miremini, ſi uni malo mederi ualentes, alterum ui & interdicto ſine Reipublicæ ueſtræ perturbatione coercere non poteſtis.

Atque ut interea (intermiſsis paulisper generalibus) de ueſtrarum perſonarum ſalute agam, quos in tuto eſſe omnium

mnium bonorum subditorum interest: equidem uobis, Proceres, nihil unquā mali euenire cupio: quin mihi potius mortem à Deo exopto, quàm ut uobis mali aliquid inferri uideam: tantū ea dico atq; profero, quæ ne eueniant timeo. Nihílne metuitis, ne in hac iam tandiu exagitata multitudine existāt aliqui Scæuolæ, & alia huius generis audacia ingenia: quæ se putent sacrificium exhibere Deo, si unius aut alterius nece socijs suis parentauerint? Neque enim eiusmodi est hoc, ut uni præsidi Minardo contigerit (cuius equidem casum deploro , & qua de causa in illud infortunium incurrerit nescio) quin ipsis Imperatoribus summisq; Principibus idem aliquando usuuenit. Quod ut perspicuum fiat, an pu-

an putatis Iulianum illum defectorẽ, magnum illud flagellum Christianorum, alia quàm Christiani militis manu perijsse, cum de improuiso sagitta ictum se uidit in medio sui exercitus? Nihil minus. Atq; hanc ob causam tacita quadam conscientiæ labe flagellatus, agnouit moriens, cœlumq; terramq; detestans, uicisse Galilæum. Galilæum autem innuebat Iesum Christum, Seruatorem nostrum. Si Alexãder ille magnus hoc pacto propemodũ interfectus fuit ad urbem Thaurim, à milite quodam qui ei ad pedes acciderat, cupiens populum suum ab illa calamitate liberare: si Ammurathes primus eius nominis Turciæ rex, post debellatum Seruiæ & Bulgariæ dominum, hoc pacto interfectus est à quodam

dam captiuo Bulgaro, per speciem eum salutandi: si apud nos rex Sigisbertus, stipantibus eum omnibus suis, peremptus fuit à duobus audacibus nobilib. à quadam Fredegunda inductis, quo se illa obsidione longa eximeret, qua Sigisbertus Samarobrigam premebat: nónne debetis uos quoq; his exemplis admoniti, uobis nonnihil ab ijs timere, qui se à uobis tandiu obsideri uidebunt? Si illi tantum ut suorum uitæ cō sulerent, ea facinora susceperunt, ex quibus nullum aliud quàm crudelem horrendamq; mortem præmium expectabant: quid ab eis sperandum uobis est, qui se & pro uita & pro anima sua certare arbitrantur? Quanquam enim scio uetare Deum, ne quis ob fidei suæ tuitionem aduersus magistra-
tum,

tum, sanguinem alterius hauriat: tamen docuit aliquando bilis diuum Petrum, armis manum admouere, ad resistendum Iudaici magistratus ministris & satellitibus, qui ad capiendum ipsius magistrum uenerant. Excitat omnino mirabiles motus in nobis religionis instinctus, commouetq; incredibiles perturbationes in animis nostris: id quod ex eo perspicere uobis licet, quod malunt uidere sua corpora ob tuendam Dei gloriam in cineres conuerti, quàm Deum coram uobis negare. Narrant seniores nostri, fuisse tempore illius expeditionis Hierosolymitanæ in Oriente quoddam genus hominũ, Aßasinorũ siue Beduinorũ nomine, in dẽsis montib. habitantiũ, & Domino cuidã parentiũ, cuius no-

stri

ſtri nullũ aliud nouerant nomẽ, quàm quod Senem, ſiue Magnũ montis appellabant. Is per ſpeciem cuiuſdã Paradiſi uoluptatis, quẽ eorũ animis impreſſerat, tantum ab eis conſecutus erat, ut ſolenni uotô ſpõderent ſeſe in principes omnes ſæuituros eſſe qui ipſorũ ſectæ aduerſarentur. Et ſanè comperio principes noſtros, in tota tranſmarina illa expeditione, à nullis æquè atq; ab illa hominum fece fuiſſe infeſtatos. Eorum inſidijs & Comes Tripolitanus occiſus eſt: & aliquanto pòſt Edoardus Anglus ab ijsdem oppreſſus, in ſuo ipſius cubiculo uulneratus eſt.

Philippus Acquiſitor, præmonitus de inſidijs, in ſe illis in locis compoſitis, coactus eſt ex illis finibus excedere: et bonus ille noſter diuus

Ludouicus

Ludouicus perditorum illorum conatus euasit: usqueadeò nihil dubitabãt, principes & præpotentes uiros in medio suorum per insidias interficere, ob suæ illius peruersæ religionis tuitionem atq; defensionẽ. Atq; inde ad nos usq; manauit Gallica uox Assasin, quæ de ijs dici solet, qui cædem aliquam aut alioquin atrox facinus dedita opera perpetrant. Et profectò si ad publicam hanc uindictam concionatores & ministri tam instigarent docendo populos, quàm ab ea dehortantur, nescio quid futurum esset. Extat in nostri temporis monimentis, quendam nomine Colam Mantuanum, humaniorũ literarum Mediolani professorem, nihil magis in suis prælectionibus inculcare solitum fuisse, quàm de aliqua

Republica

Republica tyranni ſeruituti eripienda (ſiue ille priuata iniuria, ſiue amore Reipub. ad id faciendum incitabatur) & eos quorum manibus opprimeretur aliqua tyrãnis, eſſe tum in hac tum in futura uita beatiſsimos.

Ea ſententia ita altè inhæſit animis trium nobilium, qui erant ex familia Lampugnanenſium Vicecomitum & Olgiatum, ut poſtquam adoleuerunt, magiſtri ſui præcepta exequi decreuerint. Et quidem in medio delubro, frequenti populi conuentu, feſto die D. Stephani, Iohannem Galeatium Mediolani ducem interficere nõ dubitarunt: licet compertum haberent ſeſe ægrè euaſuros eorum furorem, qui illum ad defenſionem ſtipabant. Quid igitur credibile eſt effici poſſe concione

sæpiùs iterata atque inculcata, & cui proposita sit Christianorum ab iniusta ui liberatio? Facite, Proceres, ut hæc exempla aliquid apud uos efficiant, si non ob publicam utilitatem, cuius uos tamen primos curam habere decet: at saltem ob priuatarum uestrarum personarum conseruationem.

Perpendite, & cum animis uestris ruminate, quantum adeatis periculum, si in uestro de euertendis Protestantibus instituto perseuerauerititis, neque eis liberum conscientiarum suarum ius usum'que permiseritis. Felis ea est natura, ut si in angusto clausus urgetur, ictus fugitans declinet, & omnes salutis uias quærat: uerùm si atrocius premitur, sibiq; omnes euadēdi uias præclusas uidet, tum uerò aduersa-

uersariũ furiosè inuadit, & ab eo unguib. extorquet, quod demißione impetrare non potuit. Equidem Protestantium patronus non sum, sed tenuis conditionis ciuis, Dei reuerens atq; metuens, , qui tempestatem præuidens, me intra priuatos parietes contineo: atque omni studio secundum Deum in id incumbo, ut & Respublica tranquilla sit, & sua regi nostro magnitudo sarta tecta, & uester uobis omnibus status honosq; maneat. Quæsumus uos per Deum, Proceres, nolite ferro uim inferre conscientijs nostris.

Sumus omnes, tum Romani tum Protestantes, Christiani, baptismi sacramento in unum coniuncti: eundēq; Deum, si non eodem ritu, at pari certè studio reueremur & adoramus.

Amemus & faueamus inter nos ex eodem præcepto, & omnibus humanis nostri principis edictis obtemperemus. Quid causæ est cur his potius quàm illis irascamini? nam quod superest, id per me licet ad Concilij iudicium decretumq; referatur, si uobis faciendum esse uideatur.

Mementote, quæ nam olim difficultates obiectæ fuerint priscis illis Christianis, & in primis super Cœnæ celebratione: neq; enim nunc primùm uenit hæc res in controuersiam, ne fortè erremus. Discimus ex historia Ecclesiastica, olim inter Ecclesiæ primordia, inter Anicetum Romanum Episcopum, & Polycarpum, qui postea in diuos relati fuerunt, acrem hac de re extitisse contentionem. Ac licet

Polycarpus

Polycarpus contenderet, ſeſe ea in re ſequi præcepta quæ ex ipſo Diui Iohannis magiſtri ſui ore didiciſſet, necnon multorum aliorum Apoſtolorum, cum quib. familiariter uerſatus fuiſſet: Anicetus uerò contrà demonſtraret, uelle ſe in eo ritu uiuere quem à maioribus ſuis per manus accepiſſet: & ad extremum uterq; firmus & cō ſtans in opinione ſua perſeueraſſet: non tamen idcirco alter alterum pro hæretico habuit: quin quandiu Romæ manſit Polycarpus, uterq; in alterius coniunctione & concordia permanſit. Aegyptios penè præterijſſem, qui licet de eodem Cœnæ ſacramento diſsiderent: non tamē ideo cæteris omnib. Chriſtianis inuiſi fuerūt & deteſtandi. Veniat præterea uobis in mentem, Pro-

ceres, Victor, alter Romanus Episcopus, qui cum antistites quosdã ex Ecclesiæ Republica propterea exclusisset, quod ab eo in ieiunij cæremonia, in Paschatis commemoratiõe, alijsq; capitibus ad Christianam religionem pertinentibus discreparent, ea de re acriter reprehensus fuit à bono illo Diuo Irenæo, Episcopo Lugdunensi, & ab omnibus Galliæ antistitibus, qui contra Victorem contendebant: sæpenumerò nostra (qui nos omnium optimè institutos ac prudentißimos esse arbitramur) negligentia corrumpi deprauaríque ea, quæ sanè sanctéq; introducta fuerint à prisca Ecclesia: præterea neminẽ esse ab Ecclesiæ corpore summouendũ ob rituũ discrimen quodpiam, qui modò cũ generalib. religionis fideiq; nostræ

principijs

principijs congruat, atque concordet. Videtis nostri Regis ætatem non adultam: uidetis quæ difficultates occurrant, antequam eam ætatem adipiscatur, in qua iure suo imperare queat: uidetis & immensum æs alienum quo obruitur. nolite nos per Galliã inuoluere incẽdio: nolite facere ut miseri insontes subditi, nocentiũ delicta luant. Ac si quidẽ Protestantes in numero sontium habere uultis, nolite committere ut in posterum dicatur, paruulum nostrũ principẽ instinctu uestro, ab ineũte ætate didicisse manus suas populi sui sanguine cruẽtatas cõtaminare: qui populus nihil aliud cupit, quàm ei perfectã et corpore et fortunis obediẽtiã præstare, animæ dũtaxat officiũ erga Deum sibi reseruãs. Proponite uobis ante

oculos Guelphorum & Gibelinorum factionem, Italiæ ruinam: moueat uos & Armeniacorum Burgundorum'que in hac Gallia factio, quæ olim occasionem præbuit Anglis Gallia potiendi in annos octodecim. Cogitate externos esse in speculis, & occasiones omnes aucupari, dum Gallos intestinis laborantes seditionibus, in armis esse uideant. Quòd si uos hæc non mouent, & per speciem tuendæ opinionis uestræ ad manus uenire uultis: certè utcunque uos bonos fidósque regis clientes esse iactetis, quicunque se consiliorum istorum authorem ducémque præstiterit, is rectè de rebus iudicantibus occasionem dabit cogitandi, se causam hanc

suscepisse

ſuſcepiſſe ob gloriam illum quidem Dei ſui, ſed illum Deum priuatam eſſe ambitionem DEI *nomine perſonatam: eúmque uelle per ſpeciem religionis (ſicut multi fecerint magni uiri) omnia miſcere atque confundere, ut hac ratione rerum potiatur. Quinimò etiamſi inter initia bellum hoc religionis ſtudio ac citra ullam ſimulationem adminiſtraueritis, tamen ſi commiſsis uni totius Galliæ uiribus uictoriam aliquam commodè obtinueritis: neſcio quid timendum uideo, dum & in tempus, & in paruuli Regis noſtri ætatem, eiuſdémque æris alieni turbam intueor. Certè ex minoribus nterdum occaſionibus maiores mutationes extiterunt. Cum Iulius Cæ-*

ſar Galliæ nobilem illam ſubactionem ſuſcepit, nihil aliud quàm Heduorum Romanæ Reipublicæ ſociorum ultionem cogitabat, neque tunc quicquam niſi patriæ utilitatem ſibi propoſuerat. Verùm poſtquam ſecunda fortuna conata perfecit, ſibíque Romanorum armorum bonam partem in manu eſſe uidit: res nouas agitare moliriq́ cœpit ad detrimētum ſuæ Reipublicæ, totiusq́ populi maieſtatem ſub ditionem poteſtatemq́ ſuam ſubiungere. Equidem neminem adhuc offendo: neque enim quenquam ueſtrûm animaduerto quicquam tale unquam in animo habuiſſe ad regis detrimentum: ſed homines ſumus, ſoletq́ ambitio, occaſionem præſidiúmq́ nacta, magnas in animis noſtris labes trahere.

here. Cæterùm oro uos, Proceres, ut hasce meas non dicam admonitiones, sed demissißimas preces admittatis, ut ab homine profectas qui & corpus, & facultates, & uitam suam principi suo consecrata addixerit: quod idem, quãuis in religionum discrepantia, tamen æquè fecisse mihi persuadeo tum eos qui se Papanæ potestati addixerunt, tum qui se ab eadem in libertatem uindicarunt.

S. P. P. faciebat.